

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

Tekst kompilowany uwzględniający wersje sandomierską i krakowską

Rękopis Biblioteki Opactwa Św. Floriana Austria (Stiftsbibliothek St. Florian), sygn.
551/XI, k. 57

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 115 [Gn. 113]

[115] Nunc^a attendatis de civitate Meydeburg. Cum primo Meydeburg locatum seu fundatum fuit imperatoris Ottonis Magni consilii, et cum terre arbitrio, et stabilitum fuit in suo iure, sicut nunc tenet in iure municipali secundum consuetudinem antiquorum, et Hallis civitas ex ea fundata est, idcirco utraque uno utitur iure. Eapropter omnes de Polonia ac de Bohemia, qui sub iure locati fuerunt Theutunico et de marchia et de Myssensi provi[n]cia, et de marchia Llusiciensi, hii omnes suum ius in Hallis recipere debent, et de civitatibus, que in hiis districtibus locati sunt. Et si sentenciam ingnoraverint aut defectum habuerint in una sentencia, hanc oportet in Meydeburg querere. Idcirco, quia omne municipale protegit, quod iure terrestri fieri non potest, quod cum reprobata sentencia de marchia ad comittatum trahi possit, quia marchio secundum suum arbitrium aut propriam graciam iudicat, quod comes non facit, sed iudicat sub banno regio. Hoc idem fit in omnibus civitatibus, ubi bannum regium est, quod vir demeretur tria talenta iudicio feodato sub banno regio. Sin autem iudicatur sub banno regio, tunc sculteto demerentur octo solidi de iudicio cum sentenciis scabinorum. Idem fit burgravio. Scabini undecem esse debent, et scultetus sit duodecimus, quia burgravio diffinire primam debet sentenciam. Quia burgravius nullum bannitum iudicium absque sculteto habere potest, scultetus absque hiis undecim scabinis in vero loco judiciali.

^a zostawione miejsce na ozdobne N wysokości dwóch wersów

[hasła: miasto, Magdeburg, Otto Wielki, prawo niemieckie, zwyczaj, Halle, Polska, Czechy, Miśnia, Marchia Łużycka, wyrok, skarga, sąd królewski, sołtys, sędzia, ławnik, burgravia, sąd wyłożony]